

www.e-rara.ch

Ioachimi Mynsingeri Dentati a Frundeck, iureconsulti, Neccharides

Münsinger von Frundeck, Joachim

Basileae, 1540

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-3893>

Homeri murium et ranarum pugna, Ioach. Mynsing. interp.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

Forſan doctrina fertilior fluam.
 Clare uir, interea uotis felicibus opto,
 Vt Parcæ extendant ſic tua fila deæ,
 Exuperare queas longos quod Neſtoris annos,
 Quiſq; nouus tibi quod fauſtiter annus eat.

HOMERI MVRIVM ET
 RANARVM PVGNA, IOACH.
 MYNSING. INTERP.



VNC precor Aonias docto ex Heli-
 cone ſorores
 In noſtrum migrare animum, con-
 texere chartis

Dum cupio cantus, nuper quos pangere coepi,
 Immenſam litem, atq; opus implacabile Martis.
 Nanq; hominum uacuas iamiam referemus ad aures,
 Qualiter in ranas tulerint ſua corpora mures,
 Ardua terrigenũ ſeclati facta Gigantum,
 Ceu perhibent: primò ſed res ſic coepit haberi.

Mus fugiens audi non parua pericula cati,
 Vicinum ſitibundus adit ſtagnum, atq; tenellam
 Barbam, captus aquæ dulcedine, tingit in undis:
 Quem uidet humentes propter (ſua regna) paludes
 Limnocharis poſtquam, tali prior ore profatur.

Λιμνοχάρης
 palude gaudēs

Quis tu hoſpes? cur littus adis? quo ſanguine cretus?

Omnia

Omnia dic uerè, mendacia uana relinquens.
 Nam si te dignum cognoro, subibimus ambo
 Regna mea, hospitij largis cumulabere donis.
 Rex Phisignathus atqui ego sum, per stagna lacusq;
 Qui color, & ranarum ingens cui supplicat orbis:
 Meq; pater genuit Peleus, olim Hydromedusæ
 Nobilis in ripa Eridani coniunctus amore.
 Te quoq; formosum, fortem, uirtutis alumnum,
 Sceptraferum regem uideo, belloq; tremendum.
 Tu tamen ò citius referas, genus unde paternum.
 Huic igitur tali Psicharpax reddidit ore.

Quid genus inquiris nostrum, specimenq; paternū,
 Quod non ignorant homines, diuq; perennes,
 Alituumq; genus, quod percutit aëra pennis?
 Psicharpax ego, magnanimi clarissima proles
 Troxartæ patris: at mater mihi nomine dicta
 Lichomye, Pternotroctæ stirpe ædita regis.
 Progenuit uero in tuguri me sedibus almis,
 Nutriuitq; cibus, nucibus, fiscoq; suauī,
 Pulmentisq; etiam omnigenis. Sed qualiter unquam
 Me tibi amicitia iunges, uel stagna subire
 Me facies, quum dissimilis natura crearit
 Vtrunq;? humor enim, cœnumq; iudæq; paludes,
 Longa tibi multos producant tempora in annos.
 At genus humanum quodcunq; comedere sœuit,

Φυσίγναθος
 dicitur ab eo,
 quod inflat se
 maxillis.

Ὑδρομεδύση
 quasi aquarū
 reginæ.

Ψυχάρπας,
 micarū raptor

Τροχάρτης,
 quasi uorans
 panem.

Λεχομύλη,
 lambēs molas.
 Πτεροτροκτος
 pernas uorās.

Me iuuat id: mihi nam panis gratissimus esse
 Ter pistus solet, & latam sisamida placenta
 Quæ redolent: atq; hæc equidem mihi semper abūdant.
 Sectioq; ex perna, & iecorum gratissima nobis
 Copia, & expressus niuei de munere lactis
 Caseolus, seu neclareo de melle coactus
 Panis, quem immortale etiam genus omne deorum
 Expetit: & quæcunq; alia ad conuiuia læta
 Sæpe coqui expediunt, ornantes ordine longo
 Omnijugis ollas epulis, luxuq; superbo.
 Terruit haud unquam in bello me clamor, at urget
 Impetus hic ubi pugnatum densissimus, hostes
 Hac ego prorumpo in medios, & uiribus utor.
 Non mihi terrori fuerit homo, pondere quamuis
 Corporis ingenti sit præditus: illius autem
 Lectum adiens, digitos crudeli polluo morsu,
 A pede mordere incipiens: tamen ipse laborem
 Non subit, & suauem non rumpit corpore somnum.
 At duo sunt mala, quæ prorsus mea pectora terrent,
 Catus & accipiter, luctus qui semper acerbos
 Incutiunt: & decipulae fraudesq; doliq;
 Sæpe inferre solet quæ fata latentia nobis.
 Terrificum in primis catus se præbet, & acrem,
 Qui semper rimas oculis obseruat acutis.
 Non etiam raphanis uescor, non caule palustri,

Hostes muris
 tres,

Non

Non placet ulla meo protenta cucurbita uentri.
Nec porro uiridanti, apio non uestor amaro,
Scilicet hoc genus est uestrum per stagna ciborum.
Quem Phsygnathus est ridens tali ore secutus.

Luxuriam ob uentris multum te extollis : & adsunt
In lacubus nobis multa, admirandaq; uisu
Interris: siquidem concessit pabulum utrunq;
Carpere nos pater arcitenens, Saturnius heros,
Per uirideis saltare herbas, habitare sub undis.
Quæ si scire cupis, non te portare grauabor
Ipse humeris: uerum nostris tu crinibus hære,
Sic nostris mecum succedes sedibus hospes.

Sic, inquit, faciam: ergo oneri succumbe. Misellus
Conscendit facili saltu, per colla tenellas
Implicat inde manus, & plurima gaudia primo
Concipit, ut potis est uicinos cernere portus,
A rana ut uebitur placide per stagna natanti.
Ast ubi cœruleis paulatim mergitur undis,
Tum uero effundit lachrymas, incusat & ipsum
Se frustra, atque comas nigro de corpore uellit,
Constringitq; pedes per uentrem, & corde pauescit,
Respicere in terramq; cupit, gelidoq; timore
Vrgente, ex imo suspiria pectore ducit.
Extensam pariter caudam trahit inde per undas
Remi instar, superos rogitans, attingere ripam

Viliceat sibi: purpureis sed mergitur undis
Ab miser, & tandem est tristi sic ore loquutus.

Iuppiter haud ita formosa'n sub imagine tauri
Europam, niuei uada per Neptunia tergo
Ad sua deuexit quondam incunabula, Cretam,
Qualiter ad sedes me ducit pessima tristem
Rana suas, niueis extollens corpus in undis.

Ecce autem subito horrendum, longe q; tremendum
Vtriq; obijcitur monstrum, sæuissimus hydrus,
Erecto incedens per stagna liquentia collo.
Quem uidet ut rana, humenteis subit illico sedes,
Ignarus qualem socium committeret undis:
Ima paludis adit, mortemq; euitat acerbam.
Mus uero comite amisso deuoluitur inde
In latices, stringitq; manus, stridetq; obiturus.
Sæpe quidem recidit, calcitrandoq; salubreis
Sæpe auras reparat: sed inuitabile fatum
Frangere non potuit. Madidi iam corpore crines
Efficiunt pondus grauius, iam lumina uersans,
Singultansq; animam, hæc imo de pectore fatur.

Oratio muris
moribundi.

Nesciet haud Deus hæc, miserū Phrysignathe quod
(Prò pietas) me fraude petis, dein proijcis ultro (me
In latices, regis natum, expertemq; natandi,
Proijcis è scopulo tanquam crudeliter alto.
At per gramineam melior non, improbe, terram

Me

Me fueras, seu pancratio libuisset acerbo,
 Seu lucta mecum, aut rapido contendere cursu.
 Me uero in latices scelerata fraude supinum
 Deijcis, ut misera & crudeli morte perirem.
 Improbe ne tamen exulta: de uertice olympi
 Aspicit hæc oculis ultor Deus omnia iustis:
 Et tu iam meritas exolues muribus atris
 Pœnas, mox ipsorum aderit exercitus ingens,
 Et tibi erit mortis uitandæ nulla facultas.

Sic memorat, simul atra quies obrepsit in artus
 Semianimes: quem lichopinax, super aggere ripæ,
 Ut uidet, herbosæ recubans, tremulos ululatus
 Effundit, pariterq; alijs miseranda recenset
 Funera. Qui postquam cognorunt uera referri,
 Nullus erat qui non seuam transfiret in iram.
 Ergo iubent omneis pulchra intra limina mures
 Troxartæ regis, subeunti luce, uocari:
 Troxartæ, cuius soboles per stagna natabat
 Exanguis, neq; adhuc ad proxima littora ponti
 Appulerat, sed iam medijs uehebatur in undis.

Postera iam croceo spargebat lumine cœlum
 Aurora, atque introgressi regalia tecta
 Iam mures fuerant: Troxartes percitus ira,
 Quum surgens tali primus sermone profatur.
 Multa quidem à ranis ego sum mala passus amiet,

Λειχονίναξ
 lambens qua-
 dras & paro-
 psides.

Muriū concio
 in ædibus Tro-
 xartæ regis.

Solus, at ipsa tamen fors facta est improba cunctis.
 Verum ego sum miser ante alios, priuatus inique
 Iam gnatis tribus. Vnum etenim feles mihi nuper
 Abstulit hostilis, ludentem extra horrea nostra.
 Ast alium mihi, ligneolas uana arte parantes
 Insidias (quam decipulam sic nomine dicunt,
 Occultè quia decipiat nos, atq; latenter)
 Eripuere uiri crudeles. Tertius inde,
 Dilectæ matri, atq; patri charissimus orbo,
 In stagno perijt: nanq; hunc Phrysignathus undas
 In medias ducens, crudeli morte peremit.
 Sed iam (quid dubitamus adhuc?) iam fortibus armis
 Cingamur, ranasq; omnes curramus in hosteis,
 Ornantes uarijs armorum corpora donis.

Murium appa-
 ratus ad bellū.

Sic memorans, cunctis edicit ut arma capeffant.
 His igitur Mars suppeditat fera munera belli,
 Mars qui bellorum curam gerit, armiger heros.
 Et primum exuijs cingunt sua crura fabarum,
 Pelle dehinc uelant nigrantia pectora cati,
 Quem uigili excoriant studio sub nocte silenti:
 Et luteas capiunt solido pro umbone lucernas,
 Et lateri adiungunt acum, opus Mauortis abenum.
 At nucis ex testa capitum caua tegmina scitè
 Componunt: sic stat campo murina iuuentus.
 Qui postquam attonitas ranarum perculit aures
 Nuncius,

Nuncius, haud mora, conueniunt, coguntq; senatum:
 Dumq; petunt causamq; mali, causamq; tumultus,
 Ecce manu sceptrum referens uenit Embasichytrus
 Tyroglyphi soboles magni, & pro funere nati
 Troxartæ indicens bellum, tali ore profatur.

Missus ego huc iussu nostri, suasuq; senatus:
 Muribus esse animum refero, decernere pugna
 Vobiscum, ò ranæ: quoniam Physignathus ille
 Rex uester, miserè fortem Psicharpaga in undis
 Merferit. Idcirco iubeo uos cingier armis,
 Quicunque insigni polletis robore mentis,
 Sic memorans, bellum prænunciat, indeq; uelox
 Fortia ranarum turbauit pectora rumor.
 Tum demum uariæ miscentur ubiq; querelæ,
 Et rex assurgens, placido sic pectore fatur.

O socij, nec ego occidi hunc, nec gurgite in alto
 Exhalantem animam uidi, sed nare palude
 Ipse uolens, nostro exemplo, resupinus in undas
 Decidit, estq; ipso submersus gurgite prudens:
 In fontem nunc me sceleris niger ille popellus
 Incusat. Verum & prudens, nec inutile uobis
 Consilium dabo, ruricolam quo fallere gentem
 Possimus, referamq; hæc, quæ sunt optima factu.
 Corpora cingentes armis, consistite mecum
 Vnanimis, fortesq; in summo margine ripæ:

Ranarū cōcio
 ἐμβασίχυτρος
 in ollas irrepēs

Τυρογλύφος
 cauator caseo
 rum,

Physignathi
 oratio ad ra
 nas,

Sic etenim ruris populos, uanamq; phalangem,
 Adueniet postquam uersus nos impete facto,
 Casside correpta, sic deijciemus in undas,
 Ignaramq; lacu gentem, expertemq; natandi
 Mergemus, cædis statuemus alacriter inde
 Murinæ æterna hic læti monumenta trophæi.

Arma ranarū. Dixit, & accingunt omnes se fortibus armis.
 Parua quidem folijs maluarum cruscula cingunt,
 Et uelant latis uiridantia pectora betis,
 Caulibus & patulis chypei pro munere duri
 Utuntur: latera at iunco decorantur acuto.

*Consilium
 deorum.*

Hinc cochleas capiti imponunt pro casside curuas.
 Ergo armati omnes celso stant margine ripæ,
 Irarumq; oblonga uibrant, hastilia, pleni.
 Iuppiter interea diuos uocat intra corusci
 Tecta poli, struclas acies, belliq; cateruas
 Demonstrans, magno pollentes robore mentis,
 Insignesue uiros armis, pugnaq; tremendos,
 Longisq; adnixos hastis, & tela ferentis
 Grandia, Centauris simileis, uastoq; Giganti.
 Tunc ridens genitor petit, ecquis ferre canoris
 Vellet opem ranis diuū, uel muribus atris,
 Et tali deinde affatur sermone Mineruam.

Iure quidem, nata, auxilio tu muribus ibis,
 Hi siquidem circumsiliunt tua templa frequenter,

Hosliæ

Hostiæ odor postquam hos inuitat suauis opimæ.

Iuppiter hæc, Iouis at contra sic nata profatur.

Muribus auxilium, genitor, ne ego ferre malignis

Deberem, mihi quæ faciunt incommoda tanta?

Assiduè nostro quiq; aduersantur honori?

Arrodunt etenim nostris pendentia templis

Serta, bibuntq; oleum ex lychnis ardentibus omne.

Adfecit nostram multum hæc iniuria mentem,

Quod peplum rosere meum, plebs pessima, mures,

A nobis tenui peplum subtegmine textum.

Stamen at hi, neui quod tam subtile laborans

Ipsa, foraminibus centum lacerasse feruntur:

Exigit usuram sacrorum nunc, fœnus & amplum,

Quod me sollicitat multum, quod suggerit iram:

Subtextum siquidem nequeo, quem mutuò cepi,

Reddere. Nec ranis iuuat auxilio esse proteruis:

Sunt etenim ranae pariter rationis egentes,

Quæ bello mihi iam redeunti, & uicta gerenti

Lumina iam somno, conuicia multa loquaces

Fecerunt nuper, nimium sub nocte profunda,

Nec permiserunt me ullam potuisse quietem

Carpere, sed iacui insomnis, capitisq; dolorem

Haud sensi paruum, donec prænuncius ales

Iam uigili rursus lucem clamore uocauit.

Sed nos uitemus pugnam, nullisq; feramus

Suppetias, ne quis telo lædatur acuto.

Nam licet aduersum diuū quis tenderet, ipsi

Attamen infensis certarent cominus armis:

Ipsorum potius pugna recreemur acerba.

Sic ait, & dictis paret diuū chorus omnis.

At iam consistunt acie, certare parati

Magnanimi campo mures, ranæq; potentes,

Præcones duo quum ueniunt, belliq; cruentum

Dant signum, cornu rauco clangore sonante.

At diri signum belli Saturnius heros,

Horrendum tonitru, supera commouit ab arce.

Cōflictus mu-
riū & ranarū.

Λειψώρ
à lambēda cau-
da.

Τρωγλοδύτης
ingrediētis fo-
ramina siue ri-
mas.

Σεβταῖος à
beta uel porro

ἀετοφάγος
à uorādo pane

πολύφωτος
quasi dicas
multiuocū.

Primus in aduersum Lichenora tendit, & altè

Vociferans, primis stantem pro muribus, hastā

Impetit, illa uolans medium transuerberat hepar:

Ergo cadit, teneras feriens in puluere crines.

Troglodytes contra lutulentum Peleiona

Tendit, & intorquens generosis uiribus hastam,

Pectora traiecit: recidentis at occupat artus

Mors nigra semianimeis, uitamq; è corpore pellit.

Embasi chytrō etiam transfixit pectora Seutleus,

Artophagusq; Polyphoni per lubrica uentris

Viscera transadigit ferrum, cadit ille supinus,

Euolat atque anima è membris fugitiua caducis.

Quem uidet ut duro claudentem lumina somno

Limnocharis, ferit hunc saxo per colla molari,

Cali-

Caligantq; oculi stygia iam nocte grauati.
 Lichenor uero huic hasta fulgente minatur,
 Perq; iecur, perq; exta ipsum nil sauciat errans.
 Cuius Crambophagus postquam fera funera cernit,
 Desilit in ripam, fugiens, de margine summo:
 Nil tamen humenti iuuat insiliisse paludi,
 Crambophagi fera sentit enim nihilominus arma,
 Sentit, & expirat subito, tingitq; cruore
 Stagnum purpureo, ripa seseq; profunda
 Extendit, fibras confossus & ilia circum.
 Tyroglyphum in ripis spoliat Limnesius inde.
 Pternoglyphumq; uidens Calaminthius, intima sentit
 Membra rigere metu, & prae cordia strata timore.
 Ergo pauens, scuto abiecto, quam turpiter undas
 Desilit in liquidas, ranarumq; agmina linquit.
 Pternophagi uero regis, habitare per undas
 Hydrocharis gaudens, saxo caua tempora duro
 Percutit, illius cerebrum de naribus exit,
 Terraq; sanguineo polluta cruore rubescit.
 Lichopinax porro uulnus crudele feroci,
 Borborocæte, tibi inflixit, caligine textit
 Morsq; tuos oculos stygia. Tum Cnissodiocton
 Prassophagus pede traxit ouans per stagna, manuq;
 Illius apprehendens collum, submersit in undis.
 Hepate Psicharpax medio Pellusion inde,

κράμβοφαγός
 uorans caules

τυρογλύφος
 cauator caseo
 rum,

βορβοροκίτης
 quod in caeno
 iaceat.
 κνισσοδιώκτης
 quod nidore
 insequatur.
 ψεασοφαγός
 edens porrum

Vlturus mortem sociorum, sternit acerbè,
Ergo cadit, Ditisq; infert se sedibus umbra.

πελοβάτης,
per lutum ince-
dens.

Pelobates quod ubi uidit, coeniq; maniplo
Illius infecit frontem, & quasi lumen ademit:
Non tulit hic, feruensq; iras exarsit in omneis.
Corripiens igitur, campo quod fortè iacebat,
Saxum ingens, terræq; immensum pondus, in ipsum
Fertur ouans, & genua super contorquet: at eheu
Frangitur illius tali crus uulnere dextrum,
Et iacuit moriens fulua resupinus arena.

κραυγασίδης
caulium specie
referens.

Craucasides necis autorem uestigat, & ipsi
Infensus telum intorquet fatale, quod alui
Per chypeum, per & arma subit citò uiscera, rursus
Effundantur ut extracta miserè exta sub hasta.
Quæ uidet ut uiridi recubans sub margine ripæ

σιτοφάγος
cibos absumēs

Sitophagus, sæuo claudus de marte recedit,
Et multos sentit cruciatus, desilit imam
Saucius in fossam, ut mortem deuitet acerbam.
Troxartes uero Physignathon in pede summo
Vulnerat, ille tremens subit inde palustria regna.
Troxartes tamen insequitur non segniter hostem
Semianimem, cupit atque ipsum demittere morti.

πρασσαῖος,
quod huiusco-
lorē imitetur.

At uiuum cognouit adhuc Prassæus ut ipsum,
Per primos tendens, telo hunc iaculatur acuto,
Haud tamen obiectum frangens hoc uulnere tegmen,

Nam

Nam cuspis medio penetrans umbone retenta est.

Ante alios uero iuuenis præstantior omneis,
Cominus egregiè pugnans, dilecta propago

Artepibuli, atque eximius Mauortis alumnus

Adfuit, inuictus Meridarpax nomine, multum

Inter ruricolam gentem pugnando triumphans:

Ranarum qui iactabat se perdere sæuum

Velle genus, quod mentis & alto robore fretus

Fecisset, nisi diuorum pater, atque hominum rex,

Esset ranarum sortem miseratus iniquam:

Ergo caput quatiens, fatur tali ore supernis.

O proceres, murem hunc uideo molirier ingens

Per latices opus humenteis Meridarpaga, multum

Et stupeo, & miror, quod sic desiderat omneis

Stagnicolas subito inuisæ demittere morti.

Pallada nos ergo supera hac mittamus ab arce,

Protinus inuicto comitatam Marte, ferocem

Arceat à pugna ut murem: sic Iuppiter infit,

Talia cui Mauors respondens reddidit ore.

Perniciem ranis diram nec Palladis almæ,

Nec nostrum poterit robur depellere: at omnes

Suppetias miseris, & opem præstemus amicam.

Tute quidem potius, horrendum opus atq; tremendum,

Fulmen deiicias: etenim Titanas & ipsos,

Enceladumq; trucem, genus atque immane Gigantes,

ἀπὸ τοῦ ἀρτέπιβου
quod pani in-
sidiatur.

Μεγίστην ἀπὸ τοῦ
à rapiēdis par-
ticulis,

Nos patrio nixos olim detrudere cœlo,
 In latera iniecto, strauisti, fulmine quondam.
 Sic ait, & summa fulmen Saturnius arce
 Rex uibrans, cœlum tonitru commouit hiulco,
 Immenſum primo, ſequitur dein miſſile fulmen.
 Fit timor, & trepidant mures, ranæq; fugaces.

At licet illorum ſubita formidine primò
 Pectora terruerit fulmen, murina iuuentus
 Non ceſſat tamen, at ſubitò fera corda reſumens,
 Stagnicolūm gliſcit rurſus popularier omne
 Ranarum genus: ætherea quod Iuppiter arce
 Conſpiciens ſummus, ranas miſeratus, amicos
 Auxiliatores iſſis ſtagno euocat alto.
 Mira cohors ſenſim egreditur Neptunia regna,

Cancrorum
 deſcriptio.

Incudes tergoq; gerit, curuoq; meatu
 Incedit, teſtudinea ſub mole laborans.
 Ungulæ eos curuæ decorant, tortiq; uidentur,
 Corticem & ore gerunt, cutis horum & teſtea corpus
 Contegit, & ſolidis ſunt compacti oſſibus, atq;
 Lati humeros, rutilant humeris, blæſis manibusq;
 Neruoſis polleant, radiantq; in pectore ocelli,
 Hiſq; pedum ueſtigia (mirum) octona, bicepsq;
 Hiſ caput, attamen haud ullis ceruicibus hærens:
 Hiſq; capi manibus nequeunt: quos nomine Cancros
 Appellam proprio. Minitantur forpice bellum.

Muribus

Muribus hi gemina, caudasq; incidere gaudent
Hostibus, atq; pedes: murum nec spicula profunt,
Hæc etenim flectunt cancrorum testea dorso.
Idcirco trepidant mures, & corde pauescunt,
Agmina cancrorum nec iam conferta ualentes
Sustinuisse magis, palantes turpia tristi
Terga dedere fugæ. At Titan iam pronus in undas
Ibat, Hesperio flagrantem gurgite currum
Immergens: sic una dies tam sæua diremit
Bella uagos inter mures, ranasq; loquaces.

MVRIVM ET RANARVM
PVGNÆ FINIS.

k